

Superior. univ. Lugj
2550 dny




PRIVILEGIA,

quibus gaudet suburbana parochialis Ecclesia
beatae Virginis Mariae, matris misericordiae,
Marburgi nuper aedificata et consecrata.



Auctore


Dr. Michaelē Napoſnik,
Episcopo Lavantino.




Marburgi, 1907.

Sumptibus princ. episc. Ordinariatus Lavantini.
Typis typographiae s. Cyrilli.









Basilicae et monasterii prospectus exterior.

PRIVILEGIA,

quibus gaudet suburbana parochialis Ecclesia
beatae Virginis Mariae, matris misericordiae,
Marburgi nuper aedificata et consecrata.



Auctore

Dr. Michaelae Napotnik,

Episcopo Lavantino.



Marburgi, 1907.

Sumptibus princ. episc. Ordinariatus Lavantini. — Typis typographiae s. Cyrilli.

114129

*Juxta preces cum omnibus privilegiis
Republice universitatis de Urbe a jure
concessis*


die 7 Novembrii anni 1906

Ray H. X

**AEDES MARIAE SACRA
LEGE PONTIFICIS BASILICA.**



N 1481/1950



Parochialis basilicae Marburgensis descriptio brevis.

Marburgum inter Styriae urbes quoad numerum incolarum secundum, quoad amoenitatem situs ac climatis primum ferme occupat locum. Hac in urbe refflorescente: spatiosa et speciosa beatae virginis Mariae, matris misericordiae, ecclesia nuper aedificata est.¹

Magnifici fani frons orientem versus spectat, ubi facilior aditus et platea publica capitalis sternitur; presbyterium vero cum abside ad occidentem dirigitur arc-tioreque via cingitur. Excepto latere meridionali una cum adnexo monasterio cohaerente — undique aspectus in domum Dei liber patet templique moles gravis eo plus

¹ Confer opusculum: Einweihungsfeier der neuerbauten Pfarrkirche zur Heiligen Maria, Mutter der Barmherzigkeit, in der Grazer-vorstadt zu Marburg. Von Dr. Michael Napotnik, Fürstbischof von Lavant. Marburg, 1901. Pagg. 1 sqq.

sentitur, quum paucis architectonicis perpendicularibus atque horizontalibus lineis distributum rarissimis ornamentis distinguitur. Exedra, solummodo liberiore aliquatenus stylo condita, serie arcuum, sub tecti coronide columellis suffultorum, adornatur.

Tota basilica ex coctilibus constructa est lateribus, qui etiam deforis apparent in suo naturali rubro colore, quocum color albus lapidum sectorum, in portis fenestrisque conficiendis adhibitorum, coalescit. Tali modo iam in externo aspectu nostrum aedificium valde differt ab aedibus privatis, hinc inde in vicinia positis vicumque praeiacentem circumdantibus. Iam ex hoc qui prima vice monumentum videt, esse opus haud profanum, sed eximium Deoque sacrum perspicit. Idem praestant duae turres campanariae, quae ingressui principali adstructae ad 58 metrorum altitudinem assurgunt et quintuplici contignatione instructae coelum cum verticibus, pyramide et cruce¹ ornatis, petunt. Horologium et quinque signa² gestantes,

¹ Confer libellos: Dr. Michael Napotnik, Ansprache gehalten am Feste unserer lieben Frau vom Berge Karmel am 16. Juli 1895 anlässlich der Weihe zweier Kreuze für die beiden Türme und eines für den First des Presbyteriums der neuen Vorstadtpfarrkirche zur Heiligen Maria in Marburg. Marburg, 1895. Pagg. 23. — Pridiga o priložnosti blagoslovljenja križev za oba zvonika in za presbiterij nove predmestne župnijske cerkve Matere milosti v Mariboru, na praznik Karmelske Matere božje, dne 16. julija 1895. V Mariboru, 1895. Strani 15. (Secunda editio reperitur in libro: Spomnite se besed, katere sem vam govoril. V Mariboru, 1902. Pag. 159—169).

² Confer Dr. Michael Napotnik, Ansprache gehalten am neunzehnten Sonntage nach Pfingsten den 13. Oktober 1895 anlässlich der heiligen Weihe der fünf neuen Glocken für die Vorstadtpfarrkirche zur Hl. Maria in Marburg. Marburg, 1895. Pagg. 31. — Idem, Pridiga o priliki blagoslovljenja peterih novih zvonov za novo farno cerkev blažene device Marije, matere milosti, v Mariboru, na

non solum tempus unius diei cito transvolare, verum etiam quum campanae varias humanae vitae vicissitudines lugubri vel laeto sono denuncient, totam hominis vitam brevissimo cursu finire vocibus suis indesinenter quasi clamant.

Per speciosam portam ex tribus portis Reginae domum ingressis quasi unico obtutu tota basilica prae oculis patet. Per mediam navem vagantes sacrum suggestum, ad interim simplici arte fabricatum, aspiciunt; procul vero presbyterium cernunt, unico gradu elevatum et cancellis lapideis super tres gradus fixis circumseptum, cum altari maiore, ex pretiosis marmorum generibus constructo et cum tabernaculo Dei ex aere confecto nigellisq̃ auroque distincto. Subter excelsum thronum autem vetusta famaue miraculorum praeclara gloriosae virginis Mariae imago refulget. Supra egregium opus lux ampla ex tribus fenestris, in exedra apertis et sanctorum effigiebus historiisque depictis, diffunditur. Insuper in mediam navem per fenestrarum ordinem hinc inde sub fornice positarum dies penetrat, radiis quidem propter varios vitrici colores paululum mitigatis.

E media navi oculus in naves a lateribus positas et quatuor potentibus pilis ex utraque parte ab ea divisas decurrit. Hic quoque altaria ad orandum et ad Missae sacrificium assistendum fideles vehementer invitant. Navis ad meridiem collocata s. Philumenae dicata est possidetque altare huius divae virginis et martyris, aliud beati Ioseph, tertium sanctissimae Crucis. In superiore muro huius — ab ianua maxima computando — sinistrae seu laevae navis fenestrae oratorii monasterialis decurrunt. Septentrionalis vero

devetnajsto pobinkoštno nedeljo, 13. oktobra 1895. V Mariboru, 1895. Strani 14. (Secunda editio habetur in libro: Spomnite se besed, katere sem vam govoril. V Mariboru, 1902. Pag. 170—179).

navis patronus specialis s. Antonius Paduanus confessor recolitur, cui in dextera hac navi unum altare dedicatum est, alterum autem beatæ Mariæ immaculatae a Lourdes et tertium amantissimæ Dominae nostræ de ss. corde Iesu. Per rotundas fenestras in superiore muro constructas dies mitis quidem, attamen satis clarus nobis aridet. Si retro convertimur, chorus pro cantoribus destinatus et columnis marmoreis sustentatus exurgit portatque magnum et artificiose fabricatum organum, superiorem vero huius parietis partem fenestra grandis quasi in rotæ similitudinem disposita variisque coloribus depicta, hinc vulgo „rosetta“ nominata, occupat. Si insuper ecclesiam nostram satis spatiosam esse — ab externo in 57·7 metra longitudinis et 24 m latitudinis protenditur, interior vero area 50·5 m longa et 22 m lata est, fornicibus mediæ navis et presbyterii ad altitudinem 17·5 m et 13·5 m surgentibus — nocturnoque tempore luce electrica profuse illuminari posse perpendimus, hoc novum opus exigentiis moderni temporis optime congruere Reginaque coeli dignum palatium esse patebit. Deus provideat, ut venerata Deiparae Virginis imago, decernente Reverendissimo Capitulo Vaticano, etiam coronetur diademate aureo!

Superest, ut animum in varias parietum decorationes intendamus. Quid dicendum de innumerabilibus pulcherrimisque ornamentis et picturis parietes ornatibus; quid de invocationibus beatæ Mariæ virginis opiferae una cum suis symbolis et propatrum figuris in fornice mediæ navis depictis; quid de illa praeceelsæ virginis Mariæ imagine in fronte arcus, in presbyterii initio extensi, in maiestate et gloria supra iridem sedente et intrantes in sacellum quasi salutante; quid denique de mira colorum harmonia, quæ totum animum capit eumque ad pietatis sensa leniter disponit?

Profecto, si artis opera expensis hunc in finem factis aequiparari possent, illa decies centena millia coronarum et reliqua, quae in sanctuario nostro monumentali perficiendo usque nunc expensa sunt, in maximam laudem summae artis cederent. Quum autem artis pretium ex voluntate potius artificis summoque eius studio pendeat atque scaturiat, propterea nec superfluum erit, illos notissimos artifices, qui huic *parochiali basilicae* aedificandae et exornandae animum operamque dederint, nominatim proferre.¹ Praedicemus praeprimis illustres Vindobonenses: celebrem architectum *Richardum Jordan*, qui futuri operis designationes stylo romanico concepit ac delineavit; pium *Iosephum Schmalzhofner*, aulicum artis aedificatoriae magistrum; probum *Antonium Schäftner*, murariorum praefectum; benevolum *Eduardum Hauser*, aulicum lapicidarum magistrum; peritum pictorem *Iosephum Kott*, qui parietibus — 40.000 coronarum pretio — exornandis optimo cum fructu incubuit; officinam haeredum *Caroli Geyling*, qui fenestras variis coloribus, figuris et ornamentis pingendas curavit; *Franciscum* denique et *Iosephum Goessner*, qui campanas affabre fuderunt. Addamus Tirolensem *Iacobum Rappel*² ex oppido Schwaz, caes. reg. aulicum aurificem, qui tabernaculum novi generis exstruxit una cum throno Mariano abundeque decoravit pretio 30.000 coronarum. Concludamus cum Marburgensibus, qui operibus marmoreis et lampadibus et lychnis ex aere

¹ Confer supra allegatum opus: Einweihungsfeier der neuerbauten Pfarrkirche zur Heiligen Maria, Mutter der Barmherzigkeit, in der Grazervorstadt zu Marburg. Pag. 46, 67—74.

² Confer de hoc artifice, quae leguntur in libro: Die Jubel- und Krönungsfeier im Mariä Empfängnis-Dome zu Linz am 1. Mai 1905. Von Dr. Michael Napotnik, Fürstbischof von Lavant. Marburg, 1905. Pag. 19.

ductili productis adlaboraverunt, prae omnibus autem cum modesto nostro magistro *Iosepho Brandl*, quippe qui cum notissima sua peritia organum eminenter construxit pretio 20.000 coronarum.

In fine huius descriptionis novissimae basilicae Marianae pauca de imagine beatae virginis Mariae, ex ligno tiliaceo sculpta et in altari maiore posita, adnotari liceat.¹ Quoad sculpendi modum non est rotundo modo formata et undique ab omni parte elaborata, sed plana et paululum elevata, quod operis genus italice „rilievo“ sonat. Repraesentat Virginem supra lunam positam, regia veste indutam divinamque Prolem sinistra manu gestantem; sceptrum vero in dextera eius regiam potestatem prodit. Virginis Infantisque capita coronis imperialibus cinguntur. Regi ergo et Reginae *domus* quoque *regia* seu *basilica* competit.

Descripta imago temporibus, quibus in provinciis nostris religio catholica revixit vitaque religiosa reffloruit christianaque ars incrementum quam maximum cepit, saeculo nempe XVII. sculpta, prius in oppido Gonobiz, slovenice Konjice, stetit in archiparochiali ecclesia s. Georgii. Haec statua Mariana cum cartusia, antiquissima primaque Germaniae, in valle s. Ioannis Bapt. in *Size* non longe a Gonobiz a marchione Ottocaro V. fundata, connexa creditur. Illam nimirum aut monachus sculpsit aut monachi celeberrimae cartusiae *Žiže* ab extraneo sculptore fieri fecere. Cartusiani Sizenses assidue coluerunt beatissimam virginem Mariam, quem cultum clare commonstrat vulgatissimum poema „*Marienleben*“ seu vita beatae Mariae virginis, conscriptum a fratre Philippo Cartusiano „ze Seitz“ (Sizii) medio saeculo decimo tertio.²

¹ Cfr. praecitatum libellum: Einweihungsfeier der neuerbauten Pfarrkirche . . . Pag. 6—17.

² Confer tractatum: „Bruder Philipp, der Lobsänger Mariä

Vorüberzuge Mutter schau' gütigst uns an,
 Du wir dich ehren in dem thutend Ehren.



Sacra imago beatæ Virginis Mariæ, matris misericordiæ.



Archiparochus Gonobizensis, piaae memoriae *Ioannes Balthasar a Renzenberg*,¹ perpulchrum simulacrum beatae Mariae virginis dono dedit clarissimae *Ioannae Felicitati*, comitissae natae *de Khuenburg*, viduae post obitum viri sui Domini *de Stubenberg*, quae acceptum donum pretiosum primo in urbem Graecensem, dein in castellum Freibichl, prope a foro Leibniz in media Styria situm, portavit, ubi fideles sacram iconem quam maxime honorabant et venerabantur. Anno 1747 sacra imago Marburgum pervenit, ubi, die 25. Ianuarii eodem anno in ecclesia PP. Minoritarum publicae venerationi exposita, peregrinationum ac miraculorum obiectum facta est, quae omnia singulari libro, a P. Nicasio Leeber O. M. s. Patris Francisci conscripto, publicata sunt.² Sublato monasterio et clausa ecclesia ordinis Minorum s. Patris Francisci Conventualium, venerabilis imago in suburbanam ecclesiam Marianam anno 1787 translata est. Haec ecclesia, quum nec artis nec maioris antiquitatis nec magnitudinis notis polleret, anno 1893 demolita est, cui nova superius

in der steirischen Karthause Seiz bei Gonobiz“ in praenotato libro: Einweihungsfeier der neuerbauten Pfarrkirche zur Heiligen Maria. Pag. 76—106.

¹ Balthasar de Renzenberg, Theologiae doctor, Protonotarius apostolicus, cuius pictura, anno 1747 facta aetatis eius 56 annorum, in domo archiparochiali Gonobizii asservatur, *capellam cum cupola* in honorem sacratissimi Rosarii aedificari iussit anno 1752, prouti chronogramma, caeterum mysteriosum, super altari Reginae sacratissimi Rosarii testificatur: **C**onfratern**I**tas Rosar**I** s**V**b t**V**to prae**S**idio Reg**I**nae Virg**I**nis per q**V**ot a**V**e tot rosas MY**S**tic**A**s e**X**hib**I**tas. — Pius Reginae sanctorum omnium cultor denatus est anno 1758.

² Baccalaureus Nicasio Leeber O. M. s. P. Francisci, Gnaden-Geschichte der marianischen Bildnuss unter dem trostvollen Titul: Mutter der Barmherzigkeit, welche zu Marburg, einer Stadt in Unter-Steyer bei denen PP. Minoriten andächtig verehrt wird. Sammt dessen Ursprung. Steyer, gedruckt bei Gregori Menhardt, 1753.

descripta structura successit. Die 12. mense Augusto anno 1900 sacra icon thaumaturgae Deiparae maxima cum sollemnitate transportata est in splendidam ecclesiam, ubi magna devotione ac firma fiducia colitur.

Quum haec nova nostra ecclesia parochialis die 11. mense Februario anno 1906 a Reverendissimo Capitulo Liberianae Basilicae patriarchali, illi antiquissimo et amplissimo beatae Mariae virginis in orbe templo, incorporata aggregataque sit et insuper a Summo Pontifice Pio X., feliciter ac fideliter Ecclesiam gubernante, die 7. mense Novembri 1906 titulo et privilegiis Basilicarum minorum de Urbe insignita auctaque sit, velit faxitque Deus O. M., ut augeatur adhuc et floreat et crescat in dies cultus beatissimae virginis Mariae a misericordia, firmeturque ac profundiores radices in regionibus nostris agat religio catholica!

PIo X.

VIrgo SaLVatorIs GenItrIX

honores

DIE VII. NoVeMbrIs ab Eo aCCeptos

CopIose retrIbVat !



**Suburbana parochialis Ecclesia Mariana
Marburgensis ad dignitatem Basilicae evehitur.**

In privata et separata audientia, auspiciatissimo die 7. mensis Novembris anno 1906 mihi benigne concessa, Sanctissimo Domino nostro Pio PP. X. humiliter supplicavi, ut sacellum, Deo sacrum in honorem *Matris misericordiae* in civitate mea residentiali Marburgi munifice et magnifice erectum, ad dignitatem *Basilicae minoris* evehere dignaretur.

Libellus supplex, ad thronum Suae Sanctitatis delatus, sequentis est tenoris.

Beatissime Pater!

Michael, Episcopus Lavantinus, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, sequentia devote exponit.

Marburgi, in civitate residentiali Episcopi Lavantini, loco parvae ecclesiae parochialis sub titulo *Matris misericordiae* nova aedes sacra, cum molis amplitudine tum pulchris architecturae operibus praecellens, in stylo romano cum duabus turribus in honorem beatae Mariae Virginis aedificata est sumptibus, a christifidelibus atque etiam ab augustissimo Imperatore Francisco Iosepho I. sponte oblatis, quorum summa longe superat decies centena millia coronarum valoris austriaci. Insimul congruum coenobium ordinis Minorum, qui peramplam parochiam administrant, erectum est.

Ecclesiam, anno 1900 sollemni ritu Deo in honorem *Matris misericordiae* consecratam et dedicatam, non solum ex urbe Marburgensi eiusque confinibus, verum etiam e dissitis regionibus piae peregrinationis causa christicolae magno numero quotannis visitare assolent: Dei genitricis *sacram iconem*, ex primaevo sanctuario in novum

translatam atque in ara templi magnifici maiore collocatam, vetustate ac prodigiorum insignem veneraturi.

In dioecesi Lavantina, quam circiter 520.000 fideles incolunt, plus quam 500 ecclesiae maiores existunt. Durante episcopatu humiliter subscripti Praesulis viginti novae ecclesiae parochiales, omissis ecclesiis filialibus ac capellis, extructae sunt. At inter tot sacra templa dioecesana non datur privilegiis et indulgentiis singularibus locupletatum.


Quae omnia animo reputans, Episcopus, dioecesim Lavantinam impraesentiarum administrans, Sanctitati Tuae devotissime substernit votum supplex, ut praedictam *Ecclesiam Marianam* ad Basilicae minoris titulum et dignitatem evehere digneris, utpote quae pulcherrimis ecclesiis ditionis austriacae ac praesertim dioecesis Lavantinae merito accensenda sit. Concessio eidem honorificentiarum ac privilegiorum, quae minoribus almae Urbis Basilicis de iure competunt, certe cederet in maiorem Deiparae gloriam, in uberiores cultorum eius salutem nec non in ardentiores zelum studiosorum sanctuarii custodum franciscalium.

Pro qua gratia et Deus . . .

Sanctitatis Tuae humillimus et obedientissimus famulus et filius

Marburgi, die
21. Octobris 1906.

† **Michael,**
Episcopus Lavantinus.



Beatissimus Pater Pius X. elementer excepit libellum supplicem eumque perlegit irremoreque ipsi haec verba adscripsit:

Iuxta preces cum omnibus privilegiis Basilicis minoribus de Urbe iam concessis.

Die 7. Novembris anni 1906.

Pius PP. X. m. p.

Hoc facto, Summus Pontifex libellum supplicem in manus meas tradidit, dicens: *Ecce, frater venerabilis, omnia facta sunt!*

Paulo post visitavi sacrorum Rituum Congregationem eamque petii, ut rem gestam in suo tabulario consignare dignaretur. Reverendissimus dilaudatae Congregationis Secretarius in tergo libelli supplicis sequentem rubricam fieri fecit:

Lavantina.

Nr. 60

1906

Praesens Rescriptum Autographum Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X. in actis Sacrorum Rituum Congregationis exhibitum fuit die duodecima Novembris anno 1906.

L. S.

† D. Panici, Archiep. Laodicea.

S. R. C. Secret.

**VNITIS LABORIBVS NOVA DOMVS SACRA
SVRREXIT BASILICES TITVLO IVSTE INSIGNITA.**



**Ecclesia s. Mariae a misericordia,
Marburgi existens, indulgentiis ditatur.**

Reverendissimum Capitulum sacrosanctae patriarchalis Basilicae Liberianae de Urbe litteris, die 11. mense Februario anno 1906 datis, *Ecclesiam s. Mariae a misericordia* Marburgi sitam, praefatae Basilicae maiori Sanctae Mariae Maioris aggregavit et incorporavit, quo participationem et communicationem gratiarum, indulgentiarum, privilegiorum ac indultorum Liberianae Basilicae a Summis Pontificibus concessorum nostra Ecclesia consequi potest et valet. Instrumentum authenticum sonat, ut sequitur.

**Capitulum et Canonici sacrosanctae patriarchalis
Basilicae Liberianae de Urbe.**

Dilecto Nobis Principi-Episcopo *Michaeli Napotnik* salutem in Domino sempiternam!

Pia ac singularis devotio, quam erga sacram Imaginem Deiparae Virginis, quae S. Lucae Evangelistae depicta manu in sacrosanta Nostra Liberiana Basilica multis abhinc saeculis asservatur, clariorque in dies elucet miraculis, quae Deus per illam omni tempore ad usque tempus praesens operatus est, habere Te constat, congrue promeretur, ut iis, quibus ex Apostolica dispensatione datum nobis est, favoribus Te prosequamur. Quapropter cum a Nobis petieris, ut attenta praecipua religione, quam erga ipsam Dei Genitricem, eique tam specialiter dicatam Basilicam nostram Liberianam ex animo profiteris, Ecclesiam S. Mariae a miseric. Marb. sitam in dioecesi Lavantina sacrosanctae Basilicae Sanctae *Mariae Maioris* unire, aggregare et incorporare velimus, quo participationem et communicationem gratiarum, indulgentiarum, privilegiorum indultorumque Apostolicorum Nobis et Eidem Liberianae Ba

silicae a Summis Pontificibus concessorum dicta Ecclesia consequi possit et valeat; Nos tam pio desiderio, quantum cum Domino possumus, satisfacere volentes, auctoritate ordinaria et qua vigore indultorum et privilegiorum Apostolicorum praedictorum fungimur, et praesertim attenta facultate a fel. record. Clemente XII. per suas Litteras Apostolicas datas sub annulo Piscatoris die 8. Iunii 1736 Nobis benigne concessa, petitam aggregationem Tibi indulgemus, ita ut omnes utriusque sexus Christifideles ad praefatam Ecclesiam confluentes, rite tamen dispositi, iis indulgentiis, spiritualibus privilegiis et gratiis frui, potiri et gaudere in forma Ecclesiae consueta possint, quae in praedictis Clementis XII. litteris continentur. Indulgentiarum autem, spiritualium privilegiorum et gratiarum huiusmodi summarium est, quod sequitur, videlicet: *Plenariae* in Festo Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis et Assumptionis Beatae *Mariae* Virginis. *Partiales* in Festo Purificationis Beatae *Mariae* Virginis, vigintiquinque annorum et totidem quadragenarum: Visitationis, quinque annorum et quinque quadragenarum: Praesentationis, quatuor annorum et quatuor quadragenarum: in Festo Exaltationis Sanctissimae Crucis trium annorum et trium quadragenarum: in Festo Dedicationis S. Michaelis archangeli, duorum annorum et duarum quadragenarum. Item *Indulgentiae stationales*: Dominica prima Adventus; Feria IV. quatuor Temporum Decembris; Vigilia Nativitatis Domini; Die eiusdem Sanctissimae Nativitatis; Feria IV. quatuor Temporum Quadragesimae; Dominica secunda Quadragesimae; Feria IV. Maioris Hebdomadae; Dominica Resurrectionis Domini; Feria II. Rogationum; Feria IV. quatuor Temporum Pentecostes; in Festo Dedicationis S. *Mariae ad Nives*; Feria IV. quatuor Temporum Septembris. — In quorum praemissorum fidem praesentes

De honoribus Ecclesiae Marianae Marburgensis ad dignitatem Basilicae evectae.

Nunc quaestio exoritur, quidnam privilegiorum, gratiarum, praeeminentiarum, indultorum nomine veniat, quibus *Basilicae minores* utuntur?

In causa Lucerna sacrorum Rituum Congregatio die 27. Augusti 1836 declaravit: „... nomine privilegiorum, gratiarum, praeeminentiarum, exemptionum, indultorum caeterorumque similium . . . favore alicuius Ecclesiae ad gradum Basilicae minoris elevatae, venire: *Conopoeum*, omni tamen auri et argenti ornatu ab eo excluso, *Tintinnabulum* et usum *Cappae magnae*“. [Cfr. Lucerna, Nr. 2744 (4781) in opere: Decreta authentica Congregationis sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata sub auspiciis ss. Domini nostri Leonis Papae XIII. Vol. II. ab anno 1706 Num. 2163 usque ad annum 1870 Num. 3232. Romae, ex typographia polyglotta. 1898. Pag. 264].

Egregium suffragium super praecitato decreto 2744 Lucerna (4781) continetur in opere: Commentaria ad instructionem Clementis XI. pro expositione ss. Sacramenti in forma XL horarum et suffragia atque adnotationes super decretis sacrorum Rituum Congregationis. Vol. V. Romae. 1900. Pag. 357—360. (Ad practicum usum huius operis requiritur: Index generalis rerum occurrentium in decretis sacrorum Rituum Congregationis per tria priora authenticae collectionis volumina digestis cum enunciatione suffragiorum atque adnotationum, quae in quarto volumine exhibentur. Volum. V. Romae, 1901).

De honoribus Ecclesiae Marianae Marburgensis ad dignitatem Basilicae minoris evectae haec notentur.

1. Inter scriptores liturgicos vix ullus reperitur, qui

apposite pertractet, quibus honoribus, quibus privilegiis quibusve praerogativis honestatae sint Basilicae sive maiores sive minores. Primum huiusmodi insigne est *nomen seu titulus: Basilica.*

Basilica, si eius perquiramus etymologiam, regiam sive regis domum significat. Apud gentiles basilica ad publica peragenda negotia quasi diversorium erat. Seneca libro 3. de ira cap. 33 observat: „Fremitu iudiciorum basilicae resonant.“ Erat locus ad ius dicendum, ut Plinius lib. 6 epist. 33 habet: „Sedebant iudices centum et octoginta . . ingens utriusque advocatorum et numerosa subsellia, adstantium corona latissimum iudicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatum tribunal atque etiam ex superiore basilicae parte . . visendi studio imminebat.“

Christiani gentilium basilicas in ecclesias et ex profano ad sacrum usum et in locum ad divina peragenda officia converterunt. Basilicae prius vocabantur regum habitacula, nunc divina templa ita nominantur, quia ibi *Regi omnium*: Deo cultus et sacrificia offeruntur. S. Augustinus (de civitate Dei) templum Vaticanum *Basilicam amplissimam* appellavit.

Differentia erat inter templa et basilicas. In templis enim columnae, quibus illa ornabantur, *in externa parte*; in basilicis vero *in interna* positae erant. — Basilicae apud christianos initio quoad religiosum cultum aliqua ratione a templis differebant. Nam illae plerumque, singulariter ad *Sanctos*, praesertim Martyres, colendos statutae erant; templa vero *ad sacra celebranda mysteria* erant destinata. Ex quo autem ecclesiarum numerus crevit, templa sive basilicae indiscriminatim ecclesiae sunt appellatae, et tam sanctorum cultus in utrisque agebatur, quam divina mysteria celebrabantur.

Nomen tamen *Basilicae* iis ecclesiis datum fuit, quae per totum orbem magis essent insignes vel ob antiquitatem vel ob magnitudinem aut celebritatem, quae ipsis inerat. Ast quum ob aliquam peculiarem rationem *Basilicae* nomen a Summis Pontificibus aliis etiam ecclesiis concessum fuit, tunc facta inter *vetustiores* et *novas Basilicas* distinctione: illae *maiores*, hae *minores* nuncupari coeperunt, quae appellatio alteri aequivalet *primi* aut *secundi* ordinis.

Quatuor tantum primariae Ecclesiae Romae *Basilicae maiores* dicuntur seu *patriarchales Ecclesiae*: Lateranensis, Vaticana, s. Pauli via Ostiensi et Liberiana (seu Maria Maggiore). Quarum prima „mater et caput omnium ecclesiarum“ Sedem Romanam praesignat, secunda Constantinopolitanam repraesentat, tertia Alexandrinam designat, quarta Antiochenam exhibet. Basilica s. Laurentii extra muros reservata est Patriarchae Hierosolymitano. (Cfr. Gaëtano Moroni Romano, Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica da s. Pietro sino al nostri giorni specialmente intorno. In Venezia, 1811. Volum. III. pag. 186—190).

Basilicae minores habentur Romae novem: S. Lorenzo fuori delle mura, S. Croce in Gerusalemme, S. Sebastiano, S. Maria in Trastevere, S. Lorenzo in Damaso, S. Maria in Cosmedin, SS. dodici Apostoli, S. Pietro in Vinculis et S. Maria del monte santo. — Extra Urbem numerantur Basilicae minores perpaucae, v. gr. ecclesia cathedralis Lucerae in Italia, ecclesia s. Iacobi in Sicilia, s. Francisci in civitate Assisi (inde a die 23. Martii anno 1754), ecclesia sanctae Mariae in oppido Lourdes, templum s. Stephani Protomartyris Hierosolymis nuper extractum (inde a die 10. Iunii 1904), cathedralis ecclesia B. M. Virginis de Horto Clavarii in Liguria (inde a die 27. Nov. 1904), ecclesia cathedralis Urgellen. in Hispania (inde a die 9. Decembris 1905), ecclesia Dominae nostrae in Monte



Basilicae Marianae prospectus interior.

Sancto prope Přibram in Bohemia, ecclesia B. M. V. Gratiarum in summo Sancto Monte prope Goritiam, hac dignitate decorata die 28. Aprilis (19. Novembris) 1906, Sanctuarium B. M. V. de Caravaggio in dioecesi Cremonen. die 7. Maii 1906 et nuperrime ecclesia Matris misericordiae Marburgi existens, hoc titulo die 7. Novembris 1906 ditata.

2. E prolatis aperte patet differentia inter Basilicas maiores et minores; quae vero sint utrarumque privilegia, honores caeteraque, quae ipsis tribui debent, silent auctores. Basilicis maioribus a summis Pontificibus nec omnibus aequae communia tributa et concessa sunt. — Responsio desumenda est ab ipsis apostolicis litteris, et ab aliarum Basilicarum exemplo. Romae quaedam sunt omnibus communia, quaedam vero aliquibus concessa. Tenore rescripti autographi Pii PP. X. de die 7. Novembris 1906 ecclesiae B. M. V. *a misericordia* omnia privilegia tribuuntur, *quae Basilicis minoribus de Urbe iam concessa sunt*. Hinc ei certo competunt privilegia, quae Romae Basilicis minoribus communia sunt.

Praeter *titulum seu nomen* competit ergo ipsi usus *Conopoei*, italice padiglione, papilio, sinnichio nominati (Zelt, Gezelt, Pavillon). Hoc conopoeum distinguendum est a conopoeo, quo tabernaculum pro Sanctissimo circumdari seu obtegi debet. Conopoeum ceu insigne Basilicae aequiparandum est magno umbraculo seu tentorio, quod praecedit in sua quidque ecclesia et in supplicationibus, toti Clero communibus. Dicitur etiam basiliché, tamquam signum basilicae. Tale conopoeum ostensum est mihi a sacrista in Basilica Vaticana: simile magno umbraculo cum veste serica. In Basilica minore s. Laurentii in Damaso (Canzellaria apostolica) inveni conopoeum de colore rubro-albo decoratum cum effigiebus s. Damasi et

s. Laurentii¹. Supra portam ecclesiae s. Birgittae, penes Cancellariam apostolicam stantis, vidi conopoeum marmoreum tamquam insigne (stemma, Wappen) Basilicae s. Mariae in Trastevere, cuius filialis est ecclesia s. Birgittae.

3. Tertium insigne Basilicae minoris est *Tintinnabulum*, vulgo campanella. In Basilica s. Petri est hoc tintinnabulum sat magnum, simile triangulo, sanctissimam Trinitatem repraesentans, in medio cum campana, quae in processione pulsatur. In Basilica s. Laurentii in Damaso habetur tintinnabulum simplex, pariter trigonum, in medio cum campanula. Usus conopoei et tintinnabuli restringitur ad ecclesiae ambitum et ad limites parochiae².

¹ Heuser describit conopoeum modo sequente: Das Conopöum . . ist ein zeltartiger Schirm, welcher unter Vortragen eines Glöckchens (tintinnabulum) bei den Prozessionen der einzelnen Basiliken und den gemeinsamen Prozessionen des römischen Klerus mit dem Kreuze der Geistlichkeit der Basilika vorausgeht. Die Form ist bekannt aus dem Wappen der römischen Kirche, welche dieses Conopöum über den gekreuzten Schlüsseln zeigt. Ursprünglich diente es wahrscheinlich dazu, bei einfallendem Regen dem Klerus Schutz zu gewähren. Es ist aus Streifen von roter und gelber Seide verfertigt und trägt oben auf der Stange ein kleines vergoldetes Kreuz und ein Band mit dem Wappen der Basilika. Diese Farben waren bis zu Pius VII., welcher hiefür weiss und gelb festsetzte, die der römischen Kirche. (Wetzer und Welte's Kirchenlexikon. II. Aufl. Freiburg im Breisgau, 1883. II. Band. Col. 22).

² Heuser adnotat de tintinnabulo haec: Das Glöckchen (tintinnabulum, campanella) wird bei diesen Basiliken vor dem Kreuze und dem Conopöum einhergetragen. Es hängt an einem aus Holz geschnitzten vergoldeten Gestelle mit dem Wappen der Basilika und wird auch während der Prozession geläutet, und zwar, wie Garampi meint, um das Volk an die Verehrung des Kreuzes zu erinnern, oder um dasselbe zu veranlassen, Platz für die Prozession zu machen. (Op. cit. et loc. cit.)



